Quaestio Medica Quodlib. Disputationibus agitanda in Scholis Medicorum, Die martis 10 Januar. D. J. Beauchesne D.-M. Moder. sapientissimo.

An Aquiloniae, quàm Austrinae Pleuritidis curatio difficilior?

Inter evidentes morborum causas quo promptius aër non modo attingitur, sed inspiratione nutriendorum spirituum gratia hauritur, in plures invadit, eo plurium morborum praesertim acutorum, opifex existitur. Quippe qui tum nobis circumfusus tum intima quaeque penetrans, spiritus, humores, partesque solidas temperamento et substantia mutat. qui vel ab astris et inferiorum corporum vaporibus, ita maxime à ventis origine calidis, et imbecillioribus varias subit mutationes. Ex quibus cum Aquilonis et Austri vis major sit, noxaque frequentior, utrinque ad morbos infligendos par quidem est momentum sed ad solvendos dispar efficacia.

Nam Aquilo licet firmandis corporibus, vitaeque protrahendae conveniat, suo tamen frigore et siccitate, gracilibus adversatur. tusses movet, et lateribus dolores excitat, humores incrassat, cutisque meatus occludendo perspirationem impedit, ob idque morbos diuturniores efficit. Cui non ita modo et temporibus, sed effectis auster contrarius: multos humores coacervat, fluxilesque reddit putredinem febres, pectusque [illegible] pavit, poros relaxat, bilem auget et acuit, corporibus languorem et tarditatem adfert quibus et causis morbi quidem plurimi, sed breviores [illegible] excitantur. Uterque vero pravis ac senibus infestus, fluxiones aeque promovet. Ille quidem cogendo et comprimendo, hic laxando et fundendo, unde prolapsis in thoracem humoribus, tusses, raucedines, asthmata et pleuritides procreantur.

Thoraci vero nullus pleuritide gravior, aut acutior accidit affectus, quae sive intra septimum dierum criticorum principem solvi solita, si in quatuordecim dies non expurgatur, ad suppurationem vertitur. Cujus causa continens non flatus, sed sanguis est, aut quivis alius humor, qui vel in membranam succingentem costas, vel in musculorum [illegible] influit, phlegmonemque parit. fluxionis occasio interdum epidemicorum more à causa communi petenda est, nonnunquam ab exercitio, balneo, ira, ictu, aestu, subito refrigerio, suppressa solemni evacuatione mensium, vel haemorrhoidum, praesertim si humoris copia, aut tenuitas, partisque recipientis imbecillitas accesserit.

Quae exteriora lateris obsidet, molesto contactu et decubitu dignoscenda, vel distillatis à capite humoribus fere sobolescit ita diuturnior est minusque periculosa. Interior vero tanto periculosior est, quanto superius ascendit et amplius distenditur. Cujus signa propria sunt febris continua morborum acutorum comes, dolor pungens, [illegible] solutionis prolixis. tussis [illegible], quae mox sputum coloratum morbi brevioris praesagium expromit: pulsus durus et inaequalis, respiratio nunquam à vita separabilis, frequens et difficilis. urina [illegible] calor nigraque substantia affectionem indicat, vere per eam solvi posse, cum autem et virium robore salus una dependeat, senibus quàm juvenibus periculosior est, et quibus delirium, peripneumonia, convulsio, aut alij [illegible] profluvium succedit.

Huius morbi ferocitas si dominanda sit, avertendumque periculum, nulla in aetate aut sexu parcendum venae sectioni, quae ex interna cubiti, eiusdem lateris vena quàm primum fieri debet. Secundum à vena locum obtinent enemata, et blanda cathartica, [illegible] quibus non modo alvus febribus expurgatur, sed humores evellentur et perfundantur. [illegible] vero parti impactus est humor anacatharsi, et diaphoresi vacuatur. Illa promoventur tum victu tenui et humectante, tum syrupis et eclegmatibus lenientibus pro humoris varietate incrassandi aut incidendi vim habentibus. haec perficitur fomentis non admodum tutis initio, unguentis et cataplasmatis relaxantibus, et digerentibus, plurimum ad hunc usum confert [illegible]. Contra vero frigidis omnibus materiam magis compingentibus, corporis habitum condensantibus, cutisque meatus constringentibus prohibetur.

Ergo Aquiloniae quàm Austrinae Pleuritidis Curatio difficilior.

B.P. BIBLIOTHÈQUE

Ponebat Julianus Bereus Lavalensis. 1576.

Novi Doctores disputat.

M. Hugo Prevosteau.
M. Nicolaus Ellain.
M. Nicolaus Millot.
M. Guillelmus de Baillou.
M. Martinus Akakia prof. reg.
M. Nicolaus le Cellier.
M. Simeon de Malmedy prof. reg.
M. Petrus Brouet.
M. Stephanus Fortin.